

Psalmus 110

- 1 Confitebor tibi Domine in toto corde meo:
in consilio justorum, et congregatione.
- 2 Magna opera Domini:
exquisita in omnes voluntates ejus.
- 3 Confessio et magnificentia opus ejus:
et justitia ejus manet in saeculum saeculi.
- 4 Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus:
escam dedit timentibus se.
- 5 Memor erit in saeculum testamenti sui:
virtutem operum suorum annuntiabit populo suo:
- 6 Ut det illis haereditatem gentium:
opera manuum ejus veritas et judicium.
- 7 Fidelia omnia mandata ejus: confirmata in saeculum saeculi:
facta in veritate et aequitate.
- 8 Redemptionem misit populo suo:
mandavit in aeternum testamentum suum.
- 9 Sanctum et terribile nomen ejus:
initium sapientiae timor Domini.
- 10 Intellectus bonus omnibus facientibus eum:
laudatio ejus manet in saeculum saeculi.